



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. 232/09/L

ŽILINENSIS

Sanctos Cyrillum, monachum, et Methodium, episcopum, qui in Moraviam missi fidem christianam praedicaverunt et sacros libros e graeco in slavicum verterunt sermonem, clerus et christifideles dioecesis Žilinensis peculiari cultu prosecuti sunt et adhuc prosequuntur.

Inde Excellentissimus Dominus Thomas Galis, Episcopus Žilinensis, communia excipiens vota, electionem sanctorum Cyrilli, monachi, et Methodii, episcopi, in Patronum principalem apud Deum dioecesis Žilinensis rite approbavit. Idem vero, litteris die 2 martii 2009 datis, enixe rogat ut electio et approbatio huiusmodi, iuxta Normas de Patronis constituendis et ad normam Instructionis "de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis", n. 30, confirmentur.

Congregatio porro de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice BENEDICTO XVI tributarum, attentis expositis, cum electionem et approbationem ad iuris praescriptum peractas esse constet, precibus annuit atque

**SANCTOS CYRILLUM, MONACHUM, ET METHODIUM, EPISCOPUM,
PATRONOS PRINCIPALES
apud Deum dioecesis Žilinensis**

confirmat, omnibus cum iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 12 octobris 2009.

+ Antonius Card. Cañizares Llovera

(✠ Antonius Card. Cañizares Llovera)
Praefectus

+ Iosephus Augustinus Di Noia

(✠ Iosephus Augustinus Di Noia, OP)
Archiepiscopus a Secretis